



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Judicium Ecclesiasticum Seu Decretalium Gregorij IX.
Pont. Max. Liber II.**

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

§. VIII. De quibusdam alijs Fori Specialis Generibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74990)

alienus subditus; nam juxta *Ordin. cit. S. fin.* eadem via in his tenenda est, nisi Princeps conventus aliud obtinuerit privilegio. Quod si Actor nullo modo subiectus Imperio sit, adversus reum Principem non tenetur experiri Judicio Austregarum, utpote quod solum constitutum est pro subditis Imperij, quorum in *Ordin.* tantum sit mentio: unde poterit eum immediatè convenire in Camera Imperiali, ut Mindanus, & Stephanus volunt, vel ut rectius sentiunt Vultejus, & Gilhufius, quos citat, & sequitur P. Friderich *n. 344.* coram Imperatore, qui de Jure communi est Judex Principum Imperij Ordinarius.

125 Dub. 4. quomodo Austregarum Judicium instituendum sit, quando convenitur persona *secundi Ordinis* ex relatis *n. 121.* in his dispendiendum est, an conveniantur à personis primi Ordinis, an à personis secundi, seu sibi similibus, an à personis tertij.

Si primum fiat, per *Ordin. Cam. p. 2. tit. 3.* duo proponuntur modi: unus est, ut accusatus tres Electores, aut Principes nominet, è quibus Actor sibi unum assumat in Judicem; alter, ut Elector, vel Princeps Actor ab Imperatore impetret sui Status Commissarium, minimè suspectum, nec à rei domicilio ultra 12. milliaria habitantem. Potest autem ex his duobus eligere actor modum, quem velit.

Si secundum contingat, iterum duplex

modus id faciendi *Ordin. Camer. p. 2. cit. tit. 5.* est proditus, potestque Actor alterutrum eligere, & vel pro Commissario, ut modò dictum est, Imperatori supplicare, vel ex Electoribus, & Principibus, ultra 12. milliaria à se non remotis, à Reo nominandis, unum accipere.

Si tertium eveniat, & persona secundi Ordinis conveniatur à persona Ordinis tertij, vel omnino extraneà, immediatè conveniuntur in Camera Imperiali. Mindan. *l. 1. de process. c. 18. memb. 3.* Matth. Stephan. *l. 1. de Jurisd. p. 1. c. 3. n. 36.* Subhard. *c. 4. cit. à n. 12. § 42.* Quod etiam verum est, quando conveniuntur ab alijs Civitatibus, vel Personis, non immediatè subiectis Imperio, ut cum alijs notant Mynsing. *cent. 1. obs. 89.* Gaill. *l. 1. obs. 1. n. 17. § 46.* Zanger. *p. 2. de except. c. 1. n. 356.* testaturque Mynsing. *l. cit.* ita crebrioribus sententijs judicatum fuisse in Camera.

Neque refert, quòd persona primi Ordinis, si à persona inferioris Ordinis mediatè Imperio subiecta conveniantur, coram Austregarum Judicibus conveniri debeant; nam hanc differentiam statuere Statibus, & Ordinibus Imperij visum est, fortè propter præminentiam, & excellentiam Principalis Dignitatis, ut *n. 17. cit.* notat Gaillius. Verum de his fatis: qui plura volet, Legatus, & Publicistas consulat.

§. VIII.

De quibusdam alijs Fori Specialis Generibus.

S U M M A R I U M.

- 126. *Alia quedam genera specialis fori.*
- 127. *Forum Jactationis, seu Diffamationis.*
- 128. *Judex in hoc foro.*
- 129. *Cause, in quibus competit.*
- 130. *An locus ei sit etiam, quando Clericus est diffamans, vel diffamatus?*
- 131. *An in hoc foro inducatur preventio per citationem diffamantis?*
- 132. *Que sit praxis istius remedij?*
- 133. *Forum l. si contendat 28. ff. de fidejussor.*
- 134. *Quomodo illud competat?*
- 135. *An etiam ante lapsum terminum, vel conditionem impletam?*
- 136. *Forum Preventionis.*
- 137. *Requisita, ut inducatur.*
- 138. *An post citationem Actor variare valeat.*
- 139. *An citatione unius Correi inducatur Præ-*

- ventio etiam respectu ceterorum?*
- 140. *Coram quo Judice conveniri debeat Laicus, quando est Socius Clerici in crimine?*
- 141. *Vel quando ipse, & iste sunt duo Correi debendi?*
- 142. *An mutato foro, forum preventionis cesset?*
- 143. *Forum Prorogationis.*
- 144. *Requisita ad istud forum.*
- 145. *Casus, in quibus ei est locus.*
- 146. *Personæ, que prorogare Jurisdictionem Judicis non possunt.*
- 147. *An istud possunt Clerici respectu Judicis Laici?*
- 148. *An respectu Judicis Ecclesiastici non sint?*
- 149. 150. *An Clerici, & Religiosi exempti subjicere se Jurisdictioni Ordinariorum possint?*

126 **P**ræter Forum privilegiatum, de quo in precedentibus duobus §§. sunt adhuc aliæ Fori Specialis species, quibus aliquis Judici, qui alias suus non est, subditur. Sunt autem Species istæ

potissimum septem, ratione Delegationis, Reconvencionis, Continentiæ caularum, Jactationis, seu Diffamationis, Preventionis, Prorogationis, & ex *l. si contendat 28. ff. de fidejussor.* De Foro delegationis sufficienter

ter actum *libr. 1. tit. 29.* ubi de Officio, & Potestate Judicis Delegati. De Foro Recorventionis agitur infra *Tit. 4. De Foro Continentia Causarum* videri possunt dicta *suprà Tit. 1. à n. 72.* & dicenda *infra Tit. 10. de Ordin. cognit. & Tit. 13. de caus. poss. & propr.* Hinc quatuor duntaxat posteriores modi examinandi hoc loco restant: Quem in finem

127 Quaritur 1. de foro Jactationis, seu Diffamationis. Hoc inductum est *l. diffamari 5. C. de ingenuis manumissis*, cujus beneficio is, qui in possessione ingenuitatis constitutus est, si à quopiam inquietetur, aut diffametur, quòd ingenuus non sit, apud Judicem conquiri, & petere ab eo potest, ut diffamanti assignet certum terminum, intra quem probet veritatem suæ diffamationis, vel traditionis; & si in probatione defecerit, perpetuum eidem imponatur silentium. Finis specialis istius Constitutionis, & beneficij concessi est, ut bonorum virorum fama defendatur, & reprimatur malignorum temeritas, qui improvida jactatione detrahunt proborum statui, horumq; existimationem publicam lædunt.

128 Dub. 1. quis sit Judex competens in causa Jactationis, seu Diffamationis? Videtur id pertinere ad Judicem diffamantis; quia Actor sequitur forum Rei. Actor autem in casu isto diffamatus est, diffamans reus. Ergo &c. *Conf. l. diffamari cit.* diffamans cogendus est, ut jactationis, seu diffamationis suæ veritatem probet. Cogi autem nemo potest, nisi à suo Judice. Ergo &c.

Sed his non obstantibus, dicendum, tali casu cognitionem causæ pertinere ad Judicem proprium personæ diffamatae, *Mynsing. cent. 6. obs. 90. n. 3. Gaill. l. 1. obs. 9. n. 3. Engl. hic n. 57.* & hoc teste alij plerique. Colligitur ex *l. diffamari cit.* Ratio est, quia in ea causa agitur de personæ Statu, seu qualitate; hujus autem cognitio proprio illius Judici competit *l. ea quæ 1. & l. si ex possessione 4. C. ubi caus. stat. ag. oport.* Ergo &c. Procceditque hoc, etsi diffamans sit extra territorium talis Judicis; nam hoc generale est in omni casu, quando Actor, & Reus non subsunt eidem Judici, quòd Judicium agitandum sit coram Judice proprio ipsius Rei. Est autem in casu nostro Reus diffamatus, actor diffamans, ut præter *Mynsing. Gaill. Engl. cit.* notant *Bald. in l. diffamari cit. in fin. Covar. l. 1. var. c. 18. n. 4. Besold. de Process. c. 2. th. 5. Blum. process. camer. tit. 36. n. 12. P. Schmier de Judic. c. 3. n. 285.* & ostendit clara ratio: nam ille ex duobus litigantibus Actor dicitur, qui prius movit litem *c. forus 10. V. accusator de V. S.* hoc autem facit diffamans; quia diffamando diffamatum accusare, sive ad illius Judicem tacite provocare censetur: ut adeo meritò peti ab eo possit, ut causam ipsa diffamatione cœptam, coram proprio diffamati Judice prosequatur.

Ex quo patet ad rationem dubitandi. *Ad Conf.* hoc ipso, quia diffamans locum Actoris obtinet, Jurisdictionem Judicis, qui diffamato proprius est, in sese prorogat. *Neque obstat*, quòd aliquando necesse sit citare diffamantem; citatio autem non subditi extra territorium citantis ordinariè vires non habeat: nam hoc iterum novum non est, sed solvi debet in omni casu, in quo post actionem cœptam citandus est Actor: sicut ergo hic, ita & in nostro casu, ut efficax sit citatio, proprius diffamantis Judex à Judice diffamati pro executione citationis requirendus erit, ut ei comparationem, ac cetera, quæ ad processum *l. diffamari cit.* pertinent, injungat.

Dub. 2. in quibus casibus locum habeat **129** remedium *l. diffamari citate?* Videtur habere locum in sola Statûs diffamatione; quia dicta Lex de hac sola loquitur, & exorbitans est à Jure communi, quo non permittitur, ut quispiam trahatur ad Judicem non suum *l. fin. ff. de Jurisd.* vel compellatur invitus ad agendum *l. un. C. ut nem. invit. ager.* atqui Leges, quæ à Jure communi exorbitant, ad alios casus, & causas extendi non debent *Reg. quæ à Jure 28. in 6.*

Sed dicendum, remedio huic locum esse in omni casu generis. Ita Anton. Gabriel *l. 2. comm. concl. tit. de action. concl. 6. n. 2. Gomez. var. resol. l. 3. c. 1. n. 18. Gaill. l. 1. obs. 9. n. 2. Perez in C. de ingenuis manumissis. n. 10. Petrus Heigius p. 2. q. 8. n. 1. & 2. Besold. de process. c. 2. th. 5. Engl. hic n. 56.* Ratio est, quia æquissimum est, ut honestorum, & proborum virorum non solum Status, sed etiam fama, atque existimatio contra malignorum obtreccationes conservetur illæsa, eorumque Jura, & pacificæ rerum possessiones intactæ maneant. Adeoque locus huic remedio erit non tantum, cum quis diffamatur de Statu, conditione, & natalibus, sed etiam cum ut adulter, fur, aut cujuscunque alterius criminis reus profcinditur.

Ad rationem dubitandi non censetur eo casu diffamans compelli ad agendum, & trahi ad Judicem non suum, sed tantum compellitur, ut causam diffamationis, quam diffamando coram Judice diffamati cœpit, prosequatur, quod generale est, & procedit in quocunque Actore, qui semel ad Judicium provocavit.

Dub. 3. an remedio isti locus sit etiam **130** contra Clericum diffamatorem Laici, aut vicissim contra Laicum diffamatorem Clerici? Satis clarum est, locum eidem esse, si Laicus sit diffamator Clerici; quia etsi eo casu ad petitionem Clerici Laicus comparere, & jactationis suæ causam probare debeat coram Judice Ecclesiastico, per hoc tamen nullum ejus privilegium læditur.

Major difficultas est, quando Clericus est diffamator Laici. Videtur enim ex una parte eo casu locum remedio huic negare

gare privilegium Clericale, per quod Clericus exceptione fori declinatoriâ adversus Laicum, ipsum in Jus vocantem, defenditur *c. nullus 2. & c. si diligenti 12. h. tit. l. fin. ff. de Jurisd.*

Ex altera autem parte eidem remedio dandus videtur locus; quia Actor debet sequi forum Rei. Atqui, ut *n. 128.* dictum est, diffamans in hoc Judicio est Actor. Ergo &c.

Utrique rationi est dandum aliquid: *ob posteriorem* dicendum, hoc casu Clericum diffamatorem adstringi, ut coram diffamati Judice proprio, adeoque Laico causam Jactationis probet; *ob primam* monendum Judex Laici diffamati Sæcularis, ne contra privilegium Clericale sua autoritate diffamatorem cogat ad comparandum in suo Judicio, sed potius adeat Judicem Ecclesiasticum Clerici diffamatoris proprium, ut iste eundem ad comparandum in foro Laici diffamati compellat.

131 Dub. 4. an si Judex, quem diffamatus pro satisfactione adijt, diffamatorem citaverit, ea citatione inducatur Præventio, ita, ut etiam diffamatus plures haberet Judices, coram quibus conveniri posset, diffamans tamen non, quem ijs ipse præfert, adire possit, sed coram eo, cujus officium diffamatus imploravit, comparere, & intentionem suam probare teneatur? Affirmat Engl. *n. 60. h. tit.* quem citat, & sequitur P. Schmier *de Judic. c. 3. n. 294.* ex ratione, quia diffamans libertatem agendi perdidit: conf. etiam libertatem eligendi Judicem.

Videtur retinenda negativa sententia, quam cum alijs defendit Covar. *l. 1. var. c. 18. n. 6.* & dicendum, hoc casu liberum esse diffamatori, an coram illo, ad quem diffamatus provocavit, an coram alio Judice diffamati proprio probationem Jactationis velit suscipere: conf. si velit diffamans, potest petere, ut diffamationis causa ad alium diffamati Judicem à se eligendum remittatur. Ratio est, quia, ut dixi, in hoc Judicio diffamator est Actor, vel Accusator, diffamatus autem Reus; est autem in potestate Actoris, non Rei adire Judicem ex pluribus Reo competentibus, quem ipse mavult, ergo &c.

Neque obstat ratio dubitandi; ex eo enim, quod diffamans diffamando necessitatem sibi imposuerit, si hoc perat diffamatus, probandi diffamationis causam, non tamen hoc ipso censei debet, quod sibi abstulerit libertatem eligendi inter Judices, si plures sint, qui respectu Rei sint competentes. Ex quo sequitur, quod diffamans multo minus teneatur in foro diffamationis respondere super causa principali, in quam incidit causa diffamationis; nam si hæc, multo magis illa remittat Judicem, quem Actor cupierit, debet, ne causarum continentia dividatur.

132 Dub. 5. quæ sit praxis remedij per *l. diffamari cit.* inducti? *xy.* praxis sequens est: Ponamus Cajum jactasse, quod

Titius sibi debeat 100. Titius verò nesciat se debitorem, & propterea satisfactionem pro injuria quarat: Hoc casu, si iste uti velit remedio *l. cit.*

1. adit Judicem proprium, ei que conqueritur, & simul probat summarie, quod Cajus jactaverit sibi à Titio debere 100. quos ipse inficietur, vel nesciat se debere.

2. diffamatione ita probatâ, petit diffamatus implorando officium Judicis, ut Cajo præfigat certum terminum, intra quem Jus suum deducat, & debitum, sive præntionem jactatam probet sub poena perpetui silentij, si defecerit, imponendi.

3. sequitur ipsa citatio Caji, & præfixio termini, quo probet diffamationis causam, intra quem terminum si peremptorie citatus non compareat, iterum citatur; & tum si in contumacia perseveret, ad petitionem Titij perpetuum ipsi super diffamatione, & debito jactanter asserto silentium imponitur.

4. Si verò in termino citationis compareat Cajo, videndum, an diffamationem à se factam fuisse fateatur, vel neget.

Si neget, ejus assertæ probatio incumbit Titio, qui si in probatione defecerit, ab ejus impetitione absolvitur Cajo, & Titius condemnatur in expensas.

Si verò fateatur, ipsi tanquam Actori injungitur, ut probet vera esse, quæ ita jactavit de Cajo: quod si probare non possit, perpetuum silentium ipsi indicitur, & simul prohibetur super prænto debito in posterum Titio inferre molestiam.

5. Quod si autem per obstinatam malitiam Cajo perrexit Titio molestus esse, pro injuriæ gravitate coerceri debet *arg. l. un. ff. si quis Jus dicent. non obtemp.* Atque hæc est praxis hodie in Judicij receptissima, & Imperialis Camera Ordinatione *Tit. 25.* approbata.

Quæritur **2.** de foro *l. si contendat 133 28. de fidejussor.*

Hoc remedium valde affine est illi, quod competit *ex l. diffamari cit.*

Conceptum quidem est specialiter de Fidejussore, cui beneficium *divisionis* competit, ex ejus tamen æquitate generali etiam ad alios casus extenditur, ut rectè Abbas *in c. 4. h. tit. n. 2.* Covar. *l. 1. var. c. 18. n. 3.* Pilegrin. *de Offic. Vicar. p. 2. sect. 3. subsect. 3. intersect. 3. n. 20.* quos citat, & sequitur P. Wiest. *hic n. 131.* & P. Schmier *de Judic. c. 3. n. 299.*

Vi ergo istius remedij is, qui in quacunque causa ab alio sibi litem movendam timet, proprium suum Judicem adire potest, & implorando officium nobile ab eo petere, ut Adversarius citetur, ac ipso præsentate declaretur, se illius debitorem non esse, vel exceptionem sibi adversus eundem competere: ac propterea illi super ea causa perpetuum imponatur silentium.

Dixi **1.** *Is, qui sibi litem movendam timet* **134**

in quo differt remedium istud à remedio *l. diffamari cit.* quod istud præviam diffamationem, illud solum molestiæ, & vexationis metum, aut periculum præsupponat. Atque in hoc speciale Legis istius consistit

beneficium, quod Reo per illam concessum est; nam vi illius cogere Actorem potest ad agendum, & litem tempestivè movendam, qui aliàs expectare debuisset, donec Actor inciperet agere.

Dixi 2. *In quacunq[ue] causa*, id exigente, prout dixi, æquitate generali. Et hinc si tutor bonafui quondam pupilli restituit, & redditus rationibus residua solvit, beneficium istius remedij petere potest, ut declaretur, quòd exceptionem solutionis contra pupillum habeat. Item ille, qui rem, aut jus mediante præscriptione acquisivit, & metuuit, ne circa illud à veteri domino moveatur, non expectato, ut conveniatur, remedio hoc uti potest, & in Judicio proponere exceptionem præscriptionis.

Dixi 3. *Adire proprium suum Judicem*: in quo alterum remedij istius beneficium, quod cum remedio *l. diffamari cit.* commune habet, confitit, quòd is, qui uti eodem vult, non Judicem ejus, à quo sibi litem movendam timet, adire debeat, sed possit adire proprium; cujus ratio est, quia remedium hoc per modum defensionis proponitur, ibique, qui illo utitur, magis Rei, quàm Actoris personam sustinet.

Dixi 4. *Ut Adversarius citetur* - - - *Et perpetuum ei imponatur silentium*: si scilicet citatus contumaciter non comparuerit; nam si compareat, & probationibus suis exceptionem contra se oppositam non possit infringere, Judex quidem ad instantiam Rei declarabit jus eidem competere, integrum tamen Actori adhuc erit etiam jus suum deducere in Judicium.

135 Dubium est, an Reus exceptionem, quam habet, vel habere se putat, opponere possit casu, quo Actor ideo intermittit agere, quòd actio in certum diem, vel conditionem restricta sit, & dies nondum advenerit, aut conditio extiterit? *re. negativè.* Ita Carpzov. *Jurisp. for. p. 1. const. 7. defin. 30.* Hartman. *Pistor. l. 4. q. 15. n. 4.* Lauterbach *ad l. si contendat cit. c. 3. th. 19. §. seq.* quos citat, & sequitur P. Schmier *de Judic. c. 3. n. 304.* & meritò; cum enim Actor hoc casu jus agendi non habeat, neque Reus jus excipiendi ante diem, vel conditionem impletam habeat, nisi plus petitionis replicatione repelli velit.

136 Quæritur 3. *De foro Præventionis.* Hoc citatione inducitur, & quidem duplici ex causa, unà, quando Reus actu coram pluribus Judicibus conveniri potest, alterà, quando actu quidem non uterque Judex respectu Rei est competens, unus tamen, dum adhuc competens fuit, causam agitare cœpit; nam utroque casu ille Judex, qui causam in suo foro agitandam assumpsit, prosequi illam potest, & ceteros Judices, quos ita prævenit, à cognitione illius causæ excludere. Ratio est, quia ut *l. ubi 30. ff. de Judic.* dicitur, ubi acceptum est Ju-

dicium, ibi etiam finem debet accipere. Sufficit autem una citatio, neque requiritur trina, aut una peremptoria; quia per unam solam citationem jam prævenitur, & perpetuatur Jurisdicção. *Gloss. in c. proposuisti 19. V. citatus h. tit.* cum autem præventa est Jurisdicção, negotium non ampliùs est integrum. *Pirh. hic n. 52.*

Proceditque hoc, etsi citatio solum verbalis fuerit; nam adhuc præferri in cognitione causæ debet, qui prior citavit, etsi postea alius citasset realiter, seu per capturam, ut teste P. Friderich *de for. compet. edit. 2. n. 780.* tradit communior, & probabilior sententia, & probat ratio; quia, ut concedit Farin. *prax. crim. lib. 1. tit. 1. q. 7. n. 53. v. sublimita 3.* & alij, qui cum ipso contrarium tenent, tali casu, Reus à Judice, qui eundem cepit, remitti debet ad eum, qui prior ipsum verbaliter tantum citavit, si reus id petat: non autem apparet, quomodo dari possit obligatio remittendi, si citatio realis posterior prævalet priori verbali; neque enim Reus remissionem postulans præjudicare potest juri, si quod capiens acquisivit ex captura.

Dub. 1. quid requiratur, ut inducatur 17 Præventio? *re. 1.* Requiritur, ut facta sit saltem citatio Rei; non enim sufficit sola Inquisitio, vel Accusatio. *Farin. q. 7. cit. n. 57.*

2. Ut citatio ab eo Judice, qui vult Jure Præventionis uti, sit prius facta; nam quando uterque simul citat, aut dubium est, quis prior citaverit, distinguendum est, an utraque citatio fuerit verbalis solummodo, aut una realis, altera verbalis. *Si hoc secundum*, ille prævenit, qui citat realiter; quia citatio realis per se potentior est verbali. *Si primam*, & apud neutrum se stitit Reus, prævenisse censetur ille, qui majorem habet Jurisdiccionem, & potestatem *arg. c. si à Sede 31. de præb. in 6.* Dixi, *si apud neutrum se stitit*; nam si coram alterutro jam comparuit, is, coram quo comparuit, in possessione est. Quod si par sit utriusque Jurisdicção, statur Juramento Rei, quis illum prævenit, vel debent inter se concordare: quòd maximè verum est, si nec reus scit, à quo prius citatus fuerit.

3. Ut si causa sit Civilis, citatio facta sit ad instantiam, five petitionem partis, ut patet ex *c. proposuisti 19. h. tit.* ibi: *ad petitionem cujusdam Adversarij tui*, & notat ibidem *Gloss. V. citatus, Abb. n. 3.* Bartol. *in l. dies 4. §. hoc autem 8. ff. de damn. infect.* Secus est in causis Criminalibus; in his enim ipsa Justitia, vel ejus promotor, aut Officium Judicis loco parris habetur. *Marta de Jurisd. p. 2. c. 3. n. 6.* *Oliva for. Eccl. p. 3. q. 33. n. 5. v. que sententia, W. iett. hic n. 144.*

4. Ut citatio facta sit à Judice competente, five ex ejus commissione *c. cit. ibi: a te legitime citatus*; nam si citet, qui non est Judex, vel non est Judex competens, eidem impunè non paretur *c. fin. de Const. in 6. & l. fin.*

l. fin. ff. de Jurisd. Abb. l. cit. n. 4. Pirh. hic n. 53. Wiest. l. cit.

5. Ut citatio sit valida *c. cit. ibi, legitime citatus*; quia quod nullum est, nullum producit effectum. Ergo neque citatio præventionem, si invalida sit. Excipitur, nisi ex illa secuta sit comparitio Rei, & in Judicio perseverantia; tunc enim censetur inducta præventio, non tamen vi citationis, quæ nulla manet, sed vi comparitionis, & perseverantiæ citati in Judicio. Bartol. in *l. 1. §. 1. ff. de ferijs*, Marta *l. cit. n. 9. Wiest. n. 144. cit. fin.*

6. Denique, ut citatio sit intimata parti; nam antequam sic intimetur, non dicitur quis propriè citatus, sed potius mandatum de citando datum: unde neque lis pendere dicitur, antequam pars cum effectu citata fuerit. Barbof. in *l. si quis posteaquam ff. de Judic. n. 32. Marta l. cit. n. 14. Oliva n. 3. Wiest. hic n. 145.* & alij apud istos. Neque obstat, quòd sola citationis commissione perpetuetur Jurisdicchio; nam ad hujus perpetuationem sufficit ejus per delegationem concessæ usus: ut verò inducatur præventio, opus est, ut Judex, qui vult uti Jure præventionis, circa personam præventam exercuerit actum, qui afficiat ipsam personam, quod non fit per citationem, nisi postquam illa est intimata reo.

138 Dub. 2. an post citationem reo intimatam actor variare, & illum coram alio Judice competente convenire valeat? *R.* cum distinctione: Vel enim reus citatus comparuit, vel contumaciter se absentavit. *Si hoc secundum*, coram alio Judice competente conveniri, & ad respondendum coram illo compelli ab actore potest, neque auditur, si petat remitti ad Judicem, cujus citationem contempserit. *Abb. in c. 19. h. tit. n. 12. Barbof. in l. si quis posteaquam cit. n. 182. §. sqq. Oliva q. 33. cit. n. 47.* & alij apud istos. Excipitur, nisi purgare voluerit contumaciam, & damna, atque expensas solvere, ac præterea cautionem de in Jure sibi præstare. *Oliva n. 48. & alij ab hoc cit.*

Si primum, & reus citatus comparuit, locus est Regule *l. ubi acceptum 30. ff. de Judic.* Unde si ad Judicium vocetur ab alio Judice, opponere huic exceptionem Præventionis potest; & si iste, non obstante illa exceptione, in causa procedat, appellare. Imò ipse Judex, qui sic prævenit citatione Reum, casu, quo post citationem huic intimatam ab Actore aditur alius Judex, potest Jurisdictionem suam defendere, & alteri Judici inhihere, ne in causa procedat; hoc enim generale est, & concessum cuivis Judici, ut tueri Jurisdictionem suam possit adversus alium Judicem, sive interior ille sit, sive æqualis, *l. un. princ. ff. si quis jus dicent. non obtemp.*

Sed quid si utraque pars post citationem factam recedere à Judice implorato

velit, num eo casu Judex iste cogere illas potest, ut coram ipso prosequantur litem? *R.* Cum *Oliva n. 53.* distinguendo: Vel enim agitur civiliter, vel criminaliter. *Si civiliter*, & ad privatum interesse, partes non videntur cogi posse; quia Judex ordinariè officium suum mercenarium impartiri non debet, nisi parte petente *l. dies 4. §. hoc autem 8. ff. de damn. infect.* *Si verò agatur criminaliter*, & Judex procedat ex officio suo nobili, Judex primus à secundo, ad quem provocatum est, etiam invitis partibus petere potest remissionem Rei; & si hanc iste deneget, contra eundem agere Interdicto retinendæ, ut à Jurisdictionis perturbatione desistat.

Dub. 3. an quando plures sunt correi ejusdem delicti, citatio unius præventionem inducat etiam respectu cæterorum? *R.* cum distinctione: Vel enim Judex, qui citationem unius fecit, etiam respectu cæterorum est competens, ut Judex Sæcularis respectu plurium Laicorum delinquentium, vel solum est competens respectu illius, quem citavit, non verò respectu alterius non citati, ut si Judex sit Laicus, & correus citatus sit Clericus.

Si primum, probabilius est induci præventionem etiam respectu non citatorum, ne continentia causarum dividatur. *Decian. tract. crim. l. 4. c. 22. n. 4. Haun. tom. 6. de J. §. 7. tr. 1. n. 117. Wiest. hic n. 151.* *Si secundum*, citatione Laici delinquentis respectu Clerici criminis focij præventio non inducitur ob privilegium Clericale, quo sine discrimine, an solus, vel cum Socio Laico deliquerit, Clericus eximitur à foro sæculari.

Neque obstat, quòd criminis causa principalis potius præsumatur Laicus, quam Clericus; accessorium autem sequatur principale juxta *Reg. 42. in 6.* Nam contra est, quia Regula ista locum non habet in casu, quo persona, quæ accedit, est diversi ordinis, & specialiter privilegiata, prout in casu nostro respectu fori Sæcularis est Clericus. Certè si Regula hæc locum etiam in hujusmodi personis haberet, Clericus delinquens cum Laico ferè semper subiceretur foro Sæculari, hoc ipso, quia, ut dictum est, criminis causa principalis potius præsumitur esse Laicus, quam Clericus. Sed hinc oritur

Dubium 4. coram quo Judice ergo Laicus Clerici in crimine e. g. homicidio perpetrato focus conveniri debeat, & puniri? Punendum à Judice Ecclesiastico existimant *Felin. in c. 1. de præscript. n. 6. Menoch, l. 1. de arbitr. c. 371. n. 13. Marta de Jurisd. p. 4. cas. 119. n. 1. §. 5. Marant. de Ordin. judic. p. 4. disp. 11. n. 22. Sperell. decis. 19. n. 4. §. sqq.* atque alij apud istos. Fundantur 1. *Declaratione Cardd. edita Dec. 1591. ubi S. Congregatio Commissario Tusculanæ Civitatis*

ORÆ-

rescriptis, ut tam Clericos, quam Laicos inquisitos de violentia illata cuidam mulieri remittat ad Judicem Ecclesiasticum. 2. Clericus, & Laicus socij ejusdem criminis habent causas connexas, imò unam, eandemque causam. Atqui causarum connexarum continentia non debet dividi, & quando unum est crimen, reus magis dignus trahit ad se correum minus dignum. Ergo &c. 3. Non potest Judex Laicus de crimine Laici sibi subiecti ritè cognoscere, nisi cognoscat etiam de facto Clerici, qui socius est ejus in crimine. Atqui hoc non est honorificum Ordini Clericali; honorificentius autem, si tali casu etiam Laicus trahatur ad forum Ecclesiasticum; sic enim pudor Clerici coram Laico non revelatur. Ergo &c.

Sed his non obstantibus, dicendum, ejusmodi Laicum, etsi homicidij, vel alterius criminis, quod Ecclesiastici, & mixti fori non sit, socium habeat Clericum, plectendum esse à Judice Sæculari. Ita Covar. *pract. qq. c. 34. n. 1.* Gomez *tom. 3. var. c. 10. n. 6.* Gurier. *l. 1. pract. q. 6. n. 7.* Farin. *prax. crim. q. 8. n. 151.* Fachin. *contr. l. 9. c. 31.* Gaill. *l. 1. obs. 37. n. 2.* Haun. *tom. 5. de J. § 7. tr. 1. n. 29.* Pirh. *hic n. 89.* Wiest. *n. 154.* & alij plures ab his *citt.* estque hoc in praxi receptum. Ratio est, quia delinquentis socij privilegio socius regulariter non gaudet; aliàs qui cum uxore surripit res mariti, etiam ipse rerum amotarum actione conveniri deberet, cum tamen furti actione teneatur, ut patet ex *l. siquis 52. princ. ff. de furt.*

Ad Argumenta Adversariorum responsio non est admodum difficilis. Ad 1. fortè ita rescriptum est à S. Congr. ob speciales facti circumstantias, vel quòd delicti sufficiens probatio aliter haberi nequeat. Ad 2. quòd causa connexa sint cognoscendæ ab eodem Judice, locum non habet, quando Rei, qui in hujusmodi causa conveniuntur, diversi sunt ordinis, & unus illorum speciali munitus privilegio: In nostro casu connexa est causa, imò eadem, sed physicè tantum, & spectatà præcisè personà defuncti; nam moraliter pro personarum ad id concurrentium numero multiplex est. Ad 3. eo casu non est periculum, ne fiat aliquid in opprobrium Ordinis Clericalis; cum enim crimen Clerici illo casu ponatur publicè notum, non prohibebitur id Judex Ecclesiasticus evulgare, si id necesse sit, ut de crimine Laici Judex Laicus plenè informetur.

41 Dub. 5. an coram eodem, & coram quo Judice conveniendi sint Clericus, & Laicus, quando simul sunt Rei debendi? cum distinctione: nam si causa dividua sit, uterque coram suo, videlicet Clericus coram Ecclesiastico, Laicus coram Sæculari Judice conveniendus est juxta illud Capycij *decif. 173.* quando causa dividua est, retineamus Laicos, & remittimus Clericos, aliòsque privilegiatos. Si verò causa sit individua,

uterque conveniri debet coram Judice Ecclesiastico, Marta *de Jurisd. p. 4. cas. 118. n. 1.* Engl *hic n. 47.* Wiest. *n. 137.* & apud hos Riminald. Senens. Stephan. Aufser. Surd. aliique DD. satis communiter. Proceditque hoc etiam in alijs causis, quibus convenitur Clericus simul & Laicus, si separationem ad cognitionem Judicalem non admittant, ut præter *citt.* notat Stephan. Gratian. *Discept. forens. c. 641. n. 19.*

Ratio est, quia continentia causarum non est dividenda *c. susceptis 1. de caus. poss. § propr. & l. nulli 10. C. de Judic.* igitur uterque coram eodem Judice conveniri debet: non potest autem Clericus trahi ad Judicem Sæcularem ob privilegium fori, quo gaudet. Ergo potius Laicus trahetur cum Clerico ad forum Ecclesiasticum. *Conf.* convenientius est, ut magis dignus ad se trahat minus dignum *c. quod in dubijs 3. de consecr. Eccl. & l. que Religiosis 43. ff. de R. V.* atqui Clericus Laico dignior est. Igitur casu, quo utriusque causa coram eodem Judice ob inseparabilitatem est agitanda, potius Clericus secum trahet Laicum, quam Laicus Clericum.

Nec obstat, quòd Judex Ecclesiasticus aliàs in causa merè temporali non sit Judex competens Laici; nam competens fit ratione personæ adjunctæ, & propter communionem, ac societatem individuum cum privilegiato, cum utique æquius sit, ut non privilegiatus fruatur jure privilegiati, quam ut suo privilegio ille privetur.

Dub. 6. an si reus, postquam ab uno 42 Judice præventus jam fuit, forum mutet, v. g. hinc transferendo domicilium, aut militiam assumendo, vel aliud forum privilegiatum acquirendo, nihilominus litem prosequi teneatur coram Judice præveniente? Videtur respondendum negativè; quia forum mutare est mutare Judicem, & ejus Jurisdictione exini, aliique subijci. *Conf. ex l. qui autem 12. princ. ff. de caution.* ubi Paulus, *Qui autem, inquit, novo privilegio utitur, non videtur in eadem causa sisti:* ex quibus JCI verbis colligitur, privilegium, quod præventioni, imò etiam litis pendentia supervenit, reo prodesse, ut Judicium declinare queat.

Sed adhuc dicendum, hujusmodi mutatione fori, aut assumptione Statûs privilegiati regulariter non subduci reum à Jurisdictione Judicis, qui eundem ante factam mutationem prævenit. Ita communis, & colligitur ex *l. cum quedam 19. ff. de Jurisd.* ubi puella nubens, & *l. siquis 7. ff. de Judic.* ubi vir militiae adscriptus, non obstante, quòd illa maritale, hic privilegiatum forum sortiri cœperit, coram Judice, à quo præventi per citationem fuerunt, litigare usque ad sententiam definitivam tenentur.

Dixi autem regulariter; nam plures exceptiones Regula ista patitur. Et 1. quidem, si Reus Laicus, postquam præventus est à Ju-

Judice Sæculari, factus sit Clericus, & incepit uti privilegio Clericali; nam hic etsi respondere debeat coram Judice Laico, à quo præventus est, in causa Civili, & in causa Criminali etiam condemnari possit ad poenam pecuniariam, vel confiscationem bonorum, si crimen hanc poenam exigat, non tamen puniri amplius potest poenâ corporis afflictivâ; quia, ut n. 88. dictum est, secundum personam, quam solam hujusmodi poena contingit, à Jurisdictione Sæculari omnino exemptus est.

2. Si reus sit Studiosus; nam hujus causa, etiam si ante aditam Academiam citatione præventus in ista fuerit, non obstante tamen præventione, ad istam est remittenda, ut post Bald. & alios voluit Bolognin. in *Auch. habita C. ne filius pro patre* &c. n. 220. Horat. Lucius de *privil. Scholar. privil. 66.* Rebuff. simili tr. *privil. 153.* Barb. in l. *si quis posteaquam 7. ff. de Judic. n. 113.* Sed ut n. 118. dixi, melius negatur exceptio hæc.

3. Siquis motu proprio Principis impetrarit, & assumpserit novum Statum, vi cuius Jurisdictione prioris Judicis sit exemptus; nam iste, ut Bartol. in l. *idem Ulpianus* §. 1. ff. de *excus. tutor. & in l. 1. ff. de poenis n. 3.* pluresque alij volunt, coram priore Judice respondere non amplius tenetur, etiam in causa, in qua est ab eodem præventus. Sed limitanda est hæc exceptio cum *Olive for. Eccl. p. 3. q. 33. n. 34.* & alijs ibi *citt.* ad casum, quo ita expressum est in privilegio; nam si concedens de hoc mentionem non faciat, privilegium, etiam motu proprio concessum, liti pendentiæ, aut præventioni non nocet, cum Princeps dans privilegium non censeatur per illud præjudicare velle tertio in Jure suo, nisi id exprimat arg. l. *prator ait 2. §. si quis à Principe 16. ff. ne quid in loc. publ. &c.*

Ad rationem dubitandi id verum est de causis imposterum tractandis, non verò de causis jam coeptis tractari; ad harum enim cognitionem Judex prior jam acquisivit Jus proximum, quo hujusmodi mutatione regulariter non spoliatur. Ad *Conf.* ut cum Donello, & alijs textum illum explicat Gonzal. in c. *19. h. tit. n. 9.* Lex illa loquitur de casu, quo Princeps specialiter expressit, ut prodesset privilegium etiam quoad causam jam coeptam.

143} Queritur 4. De foro Prorogationis. Hæc ultimus modus est fortiendi forum. Describi potest, quòd sit extensio Jurisdictionis ad personas, causam, tempus, vel locum, in quas, quando, & ubi alias non competit, consensu earundem personarum facta, prout colligitur ex c. *P. & G. 40. de offic. & potest. quid. Deleg. l. si se 1. & l. seq. princ. ff. de Judic. l. si convenerit 18. ff. de Jurisd. & l. non quidem 1. C. de Jurisd. omn. Judic.*

Dicitur 1. Extensio; nam ut per consensum partium in ipsas, quoad tempus, locum,

vel causam alicui Jurisdictioni prorogetur, necesse est, ut is antecederet, & aliunde jam Jurisdictionem habeat c. *significasti 18. h. tit. & l. si se cit.* Ratio est, quia alias partes non tam veterem Jurisdictionem prorogarent, quam novam conferrent, cum tamen consensus privatorum non possit facere Judicem eum, qui nulli præest Judicio, sive nullam Jurisdictionem habet l. *privatorum 3. C. de Jurisd. omn. Judic.*

Dixi 2. Consensu earundem personarum facta; nam ut prorogetur Jurisdictioni Judicis alias non competentis, necesse est, ut partes in ejusmodi Judicem consentiant liberè, & scienter, non per errorem, quo v. g. se Jurisdictioni illius subjectos esse existiment; vel gravi metu, aut potentiâ Judicis coacta l. *consensisse 2. ff. de Judic. & hinc nullius momenti est processus, & sententia lata à Judice, in quem partes consenserunt errore, vel metu. Oliv. p. 3. for. Eccl. q. 14. n. 18. & seqq.*

Dixi 3. Quoad personam, causam, tempus, vel locum; nam quatuor omnino modis fieri prorogatio potest.

1. De una persona ad aliam personam: quod fit, quando subditi alieni mutuo consensu se subjiciunt Jurisdictioni alicujus non sui Judicis, ut de causa inter ipsos controversa cognoscat l. *si se, l. consensisse, & l. si convenerit citt.*

2. De re ad rem, seu de causa ad causam: quod fit, quando Judici habenti limitatam Jurisdictionem, ut non possit cognoscere de summa excedente 100. aureos, partes litigantes se mutuo consensu submitunt super summa majore, ut etiam de illa cognoscat l. *de quare 74. §. Judex 1. ff. de Judic. Marant. de Ordin. Judic. p. 4. dist. 12. n. 3. Pirh. hic n. 102. Wiest. n. 204.*

3. De tempore ad tempus, ut quando certum tempus, intra quod causa terminanda fuit, Judicis, & partium consensu protrahitur, ut hic de ea etiam post temporis illius lapsum cognoscere, & pronuntiare possit c. *de causis 4. de offic. deleg. & l. consensisse cit. §. si & Judex. 2. Marant. Pirh. Wiest. l. citt.*

4. De loco ad locum, ut si causa inter partes controversa de uno loco transfertur ad alium: potestque transferri vel ad locum ejusdem Territorij, & Jurisdictionis, vel alterius diversi: si transferatur ad locum ejusdem Territorij, sufficit partium consensus; si verò ad locum diversi Territorij, requiretur consensus Judicis illius loci. Hiltrop. *process. Judic. p. 1. tit. 4. n. 38. & n. 41. Marant. Pirh. Wiest. l. citt.*

Dub. 1. Quenam requirantur ad Prorogationem Jurisdictionis? R. requiruntur præcipue sequentia. 1. Ut Judex, in quem partes litigantes consentiunt, jam antecederet aliquam Jurisdictionem habeat, ut dictum est n. præc. nam partes Jurisdictionem dare non possunt.

2. Ut Jurisdictioni, quæ per Prorogationem extenditur, sit similis, sive ejusdem

speciei, & ad causæ cognitionem sufficiens. e.g. si causa sit spiritualis, Judex, cujus Jurisdictionis prorogatur, habeat Jurisdictionem spirituales; si criminalis, Judex non tantum procedere possit in causis Civilibus, sed etiam in Criminalibus. Abb. in c. 12. h. tit. n. 14. Clar. S. fin. q. 42. n. 2. Marant. de Ord. Judic. p. 4. dist. 12. n. 18. Oliva p. 3. for. Eccl. q. 14. n. 70. Pirh. hic n. 183. Wiest. n. 205. alias non esset prorogatio, sed nova collatio Jurisdictionis, quæ, ut paulò antea dictum est, à privatis fieri non potest.

3. Ut partes in hujusmodi Judicem liberè, & scienter, sine errore, & metu consentiant, ut dictum est *num. præc.* Sufficit autem consensus tacitus, qui explicatur ipso facto, dum partes coram ejusmodi Judice litem contestantur, vel opponunt exceptionem dilatoriam; nam per talem exceptionem videntur provocare ad Judicem, ut super ea pronuntiet, & sic in ipsum consentire. Bartol. in l. si convenerit cit. n. 2.

4. Ut si causa inter partes controversa transferatur ad locum diversi Territorij, consensum addat Judex illius loci, ex quo transferatur, ut dictum est *n. præc.* Dixi ad locum diversi Territorij; nam si Jurisdictio extra Territorium Judicis, qui alias de causa debuisse cognoscere, non extendatur, ejusdem consensu opus non est; quia privilegium hoc subditis à Jure indultum est, ideoque à Judice Ordinario auferri, vel impediri non potest.

5. Denique, ut si Prorogatio fiat de persona ad personam, de causa ad causam, Judex, cujus Jurisdictio prorogatur, habeat Jurisdictionem Ordinariam, vel saltem sit delegatus ad Universitatem causarum, qui Ordinario æquiparatur; nam Delegati ad certam causam Jurisdictio, etiam partium consensu prorogari, seu extendi de persona ad personam, vel de causa ad causam non expressam nequit c. cum P. & G. 40. de Offic. Deleg. Gloss. *ibid.* V. *prorogatio*, Abb. n. 5. Pirh. n. 184. Wiest. n. 209. cit. Addidi de persona ad personam, vel de causa ad causam; nam de tempore ad tempus, de loco ad locum, & de minori quantitate ad majorem partium consensu etiam ad certam causam Delegati Jurisdictio prorogari potest, saltem quando restrictio illa Jurisdictionis in Delegato principaliter facta est in favorem partium litigantium; nam hæc favori principaliter pro se introducto renuntiare possunt.

145 Dub. 2. In quibus casibus locus prorogationi non sit? Non desunt apud Brunnem. in l. si convenerit cit. n. 3. qui volunt usum Prorogationis hodie à Tribunalibus omnino sublatum, eo quòd hodiernis moribus Judices Ordinarij hujusmodi causas, viâ prorogationis delatas ad alienum Judicem, ad sua Tribunalia avocare possint, & soleant. Sed melius cum eodem Brunnemano, & alijs docet Manz. Decif. Palat. q. 93. n. 20.

Wiest. hic n. 206. quòd etiamnum eidem sit locus; quia licet, ut dictum est, Judices Ordinarij causas subditorum suorum ad se avocare possint, non tamen necessariò debent.

Excipiuntur tamen aliqui Casus, in quibus Prorogatio Jurisdictionis locum non habet. Talis est 1. Si causa sit Feudalis controversa inter duos Vafallos; nam in hac, quando Dominus directus Judex competens est, prorogatio Jurisdictionis in alium, illo non consentiente, non valet. Oliva for. Eccl. p. 3. q. 14. n. 115. & hoc teste receptissima sententia, nemine, quem inveniret, contradicente: idque merito tum ob reverentiam Domino debitam à Vafallis, tum ob præjudicium, si causa ipsi specialiter competens ab alio Judice tractaretur.

2. Si causa sit reservata ipsi Principi in signum supremæ Jurisdictionis, & potestatis Regalis; nam hujusmodi causa in alium, etiam æquali potestate, & prerogativa præditum, per viam prorogationis transferri nequit ob reverentiam Principi debitam, quæ hujusmodi Prorogatione lædi videtur, ut communissima DD. habet per textum c. per venerabilem 13. v. *insuper. qui sil. legit.* junct. S. fin. in Auth. quib. mod. natural. efficiunt. sui. collat. 7.

3. Si Princeps causam ad se avocaverit, nisi hic consenserit; nam avocando illam reservavit sibi. Marant. de Ord. Judic. p. 4. dist. 12. n. 26. Oliva q. 14. cit. n. 101. Wiest. hic n. 208. & novissime P. Friderich de for. compet. edit. 2. n. 458. ubi plura de avocatione per duos §q. num.

4. In causis Appellationis; cum enim istius natura sit, ut gradatim, & ab inferiore ad itius superiorem fiat, necessariò sequitur, Judicem in hac alium adire non posse, nisi qui sit Superior ejus, à quo appellatur. Felin. in c. P. & G. 40. de offic. deleg. n. 7. Marant. de Ord. Jud. l. cit. n. 22. Oliva n. 99. Pirh. n. 188. Wiest. n. 209. & novissime P. Friderich de for. compet. edit. cit. n. 455.

5. In causis Criminalibus; in his enim prorogari Jurisdictio quidem potest in præjudicium Actoris, & Rei, non tamen in præjudicium Reipub. & ipsius Judicis: unde iste, si ahas criminis punitioni ipsi competat, de novo cognoscere, & sententiam ferre potest de hujusmodi crimine, si hoc ad Tribunal ipsius per accusationis, vel denuntiationis viam delatum sit, ne via aperiatur fraudibus, & Reus Jurisdictionem amici sibi Judicis prorogando cum Reip. præjudicio poenam sibi debitam evadat. Bald. in l. si qui ex consensu n. 6. C. de E-pisc. audiens. Marant. p. 4. cit. dist. 6. n. 60. Oliva l. cit. n. 62. Pirh. hic n. 188. cit. Wiest. n. 210.

6. In Causis Spiritualibus; nam in his neque Laici se possunt subicere Jurisdictioni Judicis Ecclesiastici alieni, sine consensu proprij: proceditque hoc non tantum in causis Sacramentalibus, i. e. quoad Sacramenta, ut omnes concedunt; sed etiam in non

non Sacramentalibus, quales sunt causæ decimarum, Juris Patronatûs &c. ut contra Abb. in c. significasti 18. h. tit. n. 15. & alios rectè Hoff. in Summ. h. tit. n. 14. y. *Et nunquid Laicus*, Ant. de Butrio in c. 18. cit. n. 10. Oliva n. 83. Pirh, l. cit. Wiest. n. 211. testaturque Oliva l. cit. ita observari in praxi. Colligitur ex c. nullus 3. de Paroch. *Et alien. Paroch.* ibi: *Nullus Episcopus alterius Parochianum judicare presumat; nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare potest*: ubi paritas instituitur inter collationem Ordinum, & inter causarum cognitionem. Atqui certum est ex dictis *Libr. 1. tit. 11. n. 36. Et sqq.* non posse Episcopum alienos subditos ordinare absque consensu proprii ipsorum Episcopi. Ergo eosdem nec poterit judicare.

146 Dub. 3. Quanam prorogare Jurisdictionem Judicis non sui possint?

possunt omnes, qui habent personam standi in Judicio, & specialiter à Jure non prohibentur. In specie 1. Prorogare Jurisdictionem nequeunt *furijs*, & *servi*: illi, quia judicio carent; isti, quia civiliter nulli sunt l. in negotijs 5. ff. de R. J. l. servus 6. & l. seq. C. de Judic.

2. *Pupilli sine Tutore*, *Minores*, & *Prodigi* absque Curatore l. in negotijs cit. l. clarum 4. C. de auctor. prestand. l. si cum esse 1. & l. seq. C. qui legit. person. stand. *Et*. quod procedere Vultejus in l. 1. C. de Jurisd. omn. Judic. & Bocer. de Jurisd. c. 7. n. 5. volunt etiam casu, quo apparet, hujusmodi prorogatione, absque autoritate Curatoris, vel Tutoris facta, conditionem pupilli, vel minoris esse redditam meliorem, quamvis contrarium teneat Bald. in l. 1. cit. & Felin. in c. 40. de Offic. Deleg. n. 10.

3. *Procuratores*: in quibus tamen opus est distinctione. Nam si generale duntaxat mandatum habent, Prorogationem non possunt facere; possunt autem, si habent mandatum ad hoc speciale, vel generale quidem, sed cum libera potestate, & administratione, vel si dum ejusmodi Prorogationem faciunt, id Principalis sciens non contradicat, cum posset; nam scientia, & patientia hoc casu æquiparatur speciali mandato: quæ omnia colliguntur passim ex Juris utriusque textibus, præsertim ex c. qui ad agendum 4. & c. seq. de Procur. in 6. l. creditor 60. S. fin. ff. mandat. l. illud 25. S. si talis 1. ff. eod.

4. *Studiosi*; nam hi si non de Jure, quod multi contendunt, saltem de consuetudine forum Academicum declinare, & Jurisdictioni alterius Judicis submittere sese nequeunt, ut observant Coler. decis. 296. Matth. Stephan. l. 1. de Jurisd. c. 22. n. 36. Hilliger. ad Donell. l. 17. c. 20. litt. K. Vultejus ad l. 1. C. de Jurisd. omn. Judic. n. 128. *Et* n. 168. quos citat, & sequitur P. Friderich de for. comp. n. 417.

5. *Clerici, & Religiosi*: sed de his cum

specialis sit difficultas, hinc ulterius

Dub. 4. an Clerici in se prorogare¹⁴⁷ valeant Jurisdictionem Judicis Sæcularis in causis merè profanis, & temporalibus? Possè id saltem cum consensu Episcopi videtur colligi ex can. Clericum 3. & can. Clericum nullus 17. caus. 11. quest. 1. ubi Clerici ad talem Judicem trahi, & apud eum pulsari prohibentur, Episcopo non permittente. Igitur à sensu contrario ipso permittente id fieri potest. *Conf.* quia Laico committi, & delegari ab Episcopo possunt causæ merè Civiles, & pecuniariæ, quæ inter, vel contra Clericos, & Ecclesias moventur, ut dictum est n. 83. ergo etiam de ejus consensu hujus Jurisdictionis ab illis in se prorogari.

Sed dicendum, Clericos ne quidem in causis profanis, & temporalibus, etiam permittente Episcopo, prorogare in se posse Jurisdictionem Judicis, sèque ei submittere. *Gloss. fin. in c. significasti 18. h. tit. Abb. ibid. n. 25. Marta de Jurisd. p. 2. c. 6. n. 40. Et sqq. Barb. in l. 1. art. 3. n. 173. ff. de Judic. Oliva for. Eccl. p. 3. q. 14. n. 84. Pirh, hic n. 194. Wiest. n. 213.* Rationem dat *Gloss. cit.* quia sicut Clericus non potest renuntiare privilegio fori, concessio in favorem totius Ordinis Clericalis, ita nec Episcopus potest consentire, ut Clericus eidem renuntiet.

Ad Argumentum contrarium dico, *citt.* textibus, ut *Gloss. cit.* explicat, subintelligendum *maximè apud Judicem Sæcularem*: & esto, textus istos sic explicandos non esse, apertus habetur textus c. si diligenti 12. h. tit. ubi declaratur, nec cum Episcopi consensu Jurisdictionem Judicis Sæcularis in Clericum prorogari posse: unde necesse est, argumentum à sensu contrario sumptum corrui, quippe quod ex Regula generali vim nullam habet, ubi contrarium reperitur expressum in Jure. *Ad Conf.* nego paritatem: disparitas præter alia est, quia delegatus, cum nihil habeat proprium, nomine, & autoritate Episcopi delegantis judicat; at Judex partium consensu prorogatus judicat nomine proprio, quod facere Laicus respectu Clerici nequit, cum ad hoc requiratur, ut habeat Jurisdictionem Ecclesiasticam, quæ caret, & cui omnino dissimilis est Jurisdictionis, quam ipse habet.

Dub. 5. an Clericus in se prorogare¹⁴⁸ saltem valeat Jurisdictionem alieni Judicis Ecclesiastici? *Ratio dubitandi* sumitur à paritate Laicorum, qui in Judicem non suum consentire possunt, consensu sui Judicis Sæcularis non requisito. *Conf.* Clerici id possunt tacite, seu ipso facto, quando in aliena Dicecesi delinquant, aut ibi se soluturos promittunt, ut dixi n. 33. & n. 60. tum enim coram Ordinario loci delicti, vel contractus conveniri, puniri que possunt. Ergo etiam idem possunt expressè; nam taciti, & expressi est eadem vis.

M 2

Sed

Sed contrà militat aperta Juris decisio
6. significasti 18. h. tit. ubi Clerici expressè prohibentur consentire in Judicem non sum, nisi Episcopi Diocesani voluntas accedat. Proceditque hoc, etsi Judex, cujus Jurisdictionem in se prorogaret Clericus, esset ejusdem Metropolitanus, ut colligitur ex *c. Romana 1. princ. eod. in 6.* ubi habetur, quòd Archiepiscopus, vel Officialis ejusdem de causis subditorum Suffraganei sui cognoscere nequeat sine licentia ipsius Suffraganei. Ratio sic statuendi fuit, ut vitetur confusio Regiminis Ecclesiastici, quæ tali modo facile induci posset. Sufficit autem consensus tacitus Episcopi, ut si scivit, Clericum subditum suum litigare coram alieno Judice Ecclesiastico, & non contradixit.

Ad rationem dubitandi negatur paritas; nam Laicis à Jure concessa est potestas prorogandi in se Jurisdictionem alieni Judicis, Clericis verò per *c. significasti cit.* apertè negata: hinc dicendum, quòd isti ratione Ordinibus, Beneficij, vel Officij sui Ecclesiastici multo magis subjeti sint Prælaro suo, quàm Laici Magistratui suo Sæculari. *Ad Conf.* iterum negatur paritas; nam in casibus ibi allegatis Clerici non tam ex sua voluntate, & consensu, quàm ex dispositione Juris subjiciuntur alterius Diocesis Ordinario.

149 Dub. 6. an Clerici, & præsertim Religiosi exempti, & Papæ immediate subjecti, per viam Prorogationis se subicere Jurisdictioni Ordinariorum possint? Satis convenit inter DD. hoc eos non posse sine consensu Papæ, à quo exempti sunt, in ijs, quæ pertinent ad Jurisdictionem contentiosam, ut rectè Abb. in *c. significasti cit. n. 12.* Barb. in *l. 1. art. 4. n. 43. ff. de Judic. Oliva p. 3. for. Eccl. q. 14. n. 90.* Pirh. hic n. 196. Wiest. n. 217.

An idem dicendum in ijs, quæ pertinent etiam ad Jurisdictionem voluntariam, cujusmodi est absolutio à peccatis, & Censuris, dispensatio in Votis, Juramentis, Irregularitatibus, Legibus, Recitatione Breviarij, Jejunij &c. dissident inter se DD.

Negant Abb. in *c. significasti cit. n. 11.* Rodrig. tom. 1. Regul. q. 30. a. 5. Suar. l. 6. de *Vot. c. 11. n. 7.*

Moventur 1. Quia per privilegium Exemptionis jus acquiritur ipsi Sedi Apostolicæ *c. cum venissent 2. de in integ. restit.* ubi exemptionis privilegium non tam ipsorum exemptorum, quàm dictæ Sedis jus esse dicitur. Atqui Juri Sedis Apostolicæ renuntiare, eive derogare non possunt Exempti per non minus clarum textum *c. cum tempore 5. de arbitr.* ibi: *Cum etsi spontè volueris, de jure nequiveris sine licentia Romani Pontificis renuntiare privilegij, & indulgentijs libertatis.* Ergo &c.

2. Summus Pontifex est Diocesanus Exemptorum. Atqui, ut *n. præc.* dictum est, nullus Clericus, vel persona Ecclesiastica potest sine licentia sui Diocesani, seu proprii Judicis in alium Judicem etiam Ecclesiasticum consentire. Ergo

&c. 3. Episcopus in Exemptos nullam habet Jurisdictionem, nisi in casibus Jure expressis. Atqui nullam Jure expressum est, per viam Prorogationis ipsi Jurisdictionem in Exemptos acquiri posse. Ergo &c.

4. Archiepiscopus habet majorem Jurisdictionem in subditos Suffraganei sui, quàm Episcopus in Clericos exemptos; quia ille est Ordinarius Judex totius Provinciæ, & in certis casibus habet Jurisdictionem Ordinariam in subditos Suffraganei sui: & tamen in istum, tanquam in suum Judicem, sine licentia sui Ordinarij Clericus consentire non potest. Igitur multo minus sine licentia Papæ in Episcopum loci consentire potest Clericus, & Religiosus Exemptus.

Sed esto, ob allatas rationes sententia hæc de rigore Juris sit verior, æquitate tamen spectata, præferenda videtur sententia affirmans, quam etiam tenent Sylv. *V. absolutio 5. n. 2.* Sanch. *l. 4. mor. c. 39. n. 32.* Laym. in *c. significasti cit. n. 3.* Pirh. hic n. 197. Wiest. n. 218. qui proinde docent, Regulares Exemptos posse pro absolutionibus, & dispensationibus obrinendis, saltem cum eas concedere nequit Prælarus proprius, de istius licentia se subicere Diocesis Ordinario. Ratio est, quia Exemptionis privilegium per se, & directè in favorem Religiosorum Ordinum concessum est. Igitur ne in eorum dispendium illud redundet contra Regulam quod ob gratiam 61. in 6. eo privilegio Regulares Exempti non debent fieri deteriores non Exemptis. Fierent autem deteriores, si in casu, quo hujusmodi absolutiones, & dispensationes non potest concedere Prælarus proprius, Regularibus Exemptis facultas pro hujusmodi absolutione, & dispensatione cum istius licentia ad Diocesis Ordinarium recurrendi adempta foret. Ergo &c.

Excipitur tamen 1. Si Papa, vel ejus Legatus, Jurisdictionem in Exemptos habens, facile adiri possit; tunc enim, ut bene advertit P. Wiest. *l. cit.* & Argumenta in contrarium allata probant, omnino ad Papam, vel ejus Legatum recurri debet.

Excipitur 2. Si potestatem absolvendi, vel dispensandi, quæ Superior immediatus caret, haberet Provincialis, vel alius Superior Ordinis mediatus; tunc enim Religiosus hujusmodi absolutione, vel dispensatione indigens ad istum remitti deberet, ut hic vel per seipsum eundem absolvat, aut cum eo dispenset, vel hanc facultatem committat alteri, ut rectè Sanch. *l. cit. n. 38.* Pirh. hic n. 199. Ratio est, quia quando remedium haberi potest in ipso Ordine, non censetur velle Religio, ut illud extra ipsam quaeratur.

Dixi autem, de licentia Prælati Regularis: Sufficit autem tacita, & aliquando præsumpta, ut si Prælarus sit impeditus, vel obijt, vel longè abest, nec alius adest vices ejusdem gerens. Sanch. *l. cit. n. 35.* Pirh. n. 198. Quodsi Prælarus Ordinis consensus ad eundem Episcopum

pum neget, videndum, an illum neget rationabiliter, vel non rationabiliter. Si rationabiliter, & iuste, adire Religiosus subditus Episcopum pro dispensatione, vel absolutione impetranda tali casu non potest. Si irrationabiliter, & iniuste, in casu, in quo ille absolvere, vel dispensare nequit, adire Exemptus, etiam consensu Prælati sui non impetrato, pro absolutione, vel dispensatione potest Episcopum cum Exceptionibus tamen supra positis, Molin. tr. 3. de Just. D. 61. n. 5. Sanch. l. cit. n. 36. Pirh. hic n. 198. cit. Ratio est, quia tunc per Episcopum non est censendus Pontifex velle, ut Religiosus cum detrimento animæ suæ egrediarur Monasterium, & pro absolutione accedat ad Sedem Apostolicam, sed existimandus est consentire,

ut absolutionem, vel dispensationem impetretur Episcopus.

Ad Argumenta in contrarium opposita dico, ijs solum probari, quod Religiosi, & alij Clerici exempti Episcopo Dicecesano subijcere sese nequeant, ut ab eo absolvantur, vel dispensationem impetrent, nisi accedat consensus Papæ saltem tacitus, & benignè præsumptus; talem autem in casu responsionis non deesse meritò probat allata ratio pro eadem. Accedit, quia Episcopus loci respectu Exemptorum non est propriè Episcopus alienus, sed proprius; quia secluso Exemptionis privilegio illorum Ordinarius est. Igitur se huic subijciendo Regulares, & Clerici propriè se non subijciunt Episcopo alieno.

TITULUS III.

De Oblatione Libelli.

Supposita Jurisdictione, & Competentia Judicis, Actor eidem Libellum exhibet, cui petitionem suam inferat, ut Judex, & Reus de qualitate causæ informantur: oblato Libel-

lo, citatio Rei sequitur. Unde duplici §§. Titulus hic concludetur: primus ager de Libello, & hujus requisitis; secundus de Citationem.

§. I.

De Libello, & requisitis ad Libellum Legitimum.

SUMMARIUM.

1. Libelli definitio, divisio, & partes.
2. Quid observandum in narratione facti?
3. Circa medium concludendi?
4. Et ipsam conclusionem?
5. Proprietates, & vitia Libelli.
6. Quid agendum, si libellus sit ineptus?
7. Si alternativus?
8. Vel obscurus?

9. An plures actiones in eodem Libello simul proponi possint?
10. Quid agendum Judici, & Reo post oblato Libellum?
11. In quibus causis offerri Libellus debeat?
12. Quando omitti?
13. An mutari?
14. Cujus sumptibus sit edendus?

1. **Q**uaritur 1. Quid, & quotuplex sit Libellus? *iv.* Libellus hic nihil aliud est, quam brevis scriptura, claram Actoris petitionem, & causam illius continens. Ita quoad sensum omnes, nominatim Barbof. in c. 2. h. tit. n. 4. Gonzal. *ibid.* n. 5. Haun. tom. 5. de 7. & 7. tr. 3. n. 137. Vallens. *hic* n. 1. Engl. *ibid.* n. 1. König n. 3. Duplex illius a DD. est approbata divisio. 1. In *Simplicem*, seu *Summariam*, & in *Articulatam*, seu *Positionalem*. Ille est, qui summam, & continua quadam orationis serie actoris intentionem pertexit. Ille, in quo merita causæ per articulos proponuntur. Ex novissimo Recepto Imperij de Anno 1654. §. *Difem nächst* / rejecto *Articulato*, solus *Summarius* est approbatus. 2. In *Civilem*, & *Criminalem*. *Civilis*, qui etiam *Conventionalis* dicitur, est, qui pro objecto habet causam *Civilem*; *Criminalis*, qui etiam

Querimonialis appellatur, qui pro objecto habet causam *Criminalem*. Libellus communiter tribus partibus constituitur, *Narratione facti*, *Medio concludendi*, & *ipsa Conclusionem*.

Dub. 1. Quomodo construenda sit Narratio facti? *iv.* ita construendam, ut 1. Exprimatur in eo nomen Judicis, coram quo agenda causa est, ut sciatur, an sit competens, vel non. Non tamen necessè est, ut Judicis nomen proprium ponatur, sed sufficit, & solet hodie plerumque compelli ab officio, ac Jurisdictione; nam ex his subinde notior esse potest, quam ex nomine.

2. Inferendum Libello est nomen proprium Actoris, ut Judex sciat, quis agat, & Reus, à quo conveniatur: quod maxime verum est, quando quis agit nomine alieno, e. g. Prælati nomine Ecclesiæ, Syndicus